



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Cultu Sacrosancti Cordis Dei Ac Domini Nostri Jesu Christi

Galliffet, Joseph de

Romae, M.DCCXXVI.

Cap. IV. Quæ & qualis sit natura SS. Cultus, proponitur & explicatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45817](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45817)

## CAPUT IV.

*Quæ & qualis sit natura Sanctissimi cultus  
proponitur, & explicatur.*

**Q**Uum revelatio coelestis, de qua diximus, principium sit, atque origo præcipua Sanctissimi Cultus cordis Jesu; ex eo utique fonte petendum est quicquid ad hoc pietatis exercitium pertinet: sive naturam illius explicare, seu modum in praxi tenendum tradere velimus. Inspicienda ergo hæc ipsa revelatio est, atque ex ipsis Christi Jesu verbis tota ipsius cultus natura, si fieri potest, eruenda & explicanda. Neque vero id factu difficile erit, cum & verba Jesu clarissima sint, & omnia ad dictum cultum pertinentia complectantur. Itaque revelatio quidem fuit ejusmodi: eam enim iterum hoc loco referre, ut ob oculos sit, omnino juvabit.

Nihil præstare potes quod mihi futurum sit acceptius, «  
quam si illud perficias quod te jam sæpius antea monui. «  
Tum cor suum Sacrosanctum detegens: vides inquit «  
cor meum, cor illud tanto hominum amore succensum, «  
ut nihil prætermiserit, viribus exhaustis penitus atque «  
consumtis, quo amorem hunc immensum certissimis si- «  
gnis testatum eis relinqueret. Eorum tamen pars maxi- «  
ma usque adeo se mihi gratos amicosque non exhibent; ut «  
me etiam injuriis, contumeliisque in hoc amoris mysterio «  
affidue laceffant. Quod eo etiam acerbius accidit, quod a «  
personis mihi dicatis talia quoque pati cogor. Itaque «

E 2

a te



» a te requiro, ut feria sexta, quæ post octavam festi corpo-  
 » ris mei proxima sequitur, cordi meo colendo peculiari-  
 » ter sit dicata: qua die ad sacram mensam accedendo inju-  
 » ria cordi meo in Altaris mysterio inflictæ, eo maxime  
 » tempore quo palam fidelium venerationi expositus sum,  
 » violati honoris reparatione sarciantur. Et quidem spon-  
 » deo, eos omnes qui hoc honore cor meum afficient, ipsius  
 » Divini cordis influxu, cœlestium gratiarum copia fore  
 » cumulandos.

Ex quibus omnibus clarissime patet Christi Jesu  
 consilium esse, ut novum quoddam religionis officium  
 erga cor suum instituat. Hoc enim ipsum est quod se-  
 vehementer cupere dicit: hoc nihil sibi acceptius præ-  
 stari posse declarat: eam ob rem servum suum adiri  
 jubet, eique suo nomine præcipi, ut omni ope connita-  
 tur, quo officium illud stabiliatur. Porro de corde Jesu  
 non translative sumto, sed in propria ac nativa signifi-  
 catione intellecto, videlicet ut est pars Corporis Christi  
 nobilissima, hîc agi, evidens est ex ipsa Christi Jesu  
 actione, qua cor suum detegit, monstratque: *cor suum*  
*detegens: vides inquit cor meum &c.* De hoc certe corde  
 loquitur, quod detegit ac monstrat: huic ipsi cultum  
 adhiberi postulat: neque vox illa (*Cor*) sæpius a Christo  
 Jesu in hoc sermone repetita aliter accipi ullatenus po-  
 test, quin verba de se perspicua, per vim in alienam si-  
 gnificationem detorqueantur. En tibi igitur quæ sit  
 res, quam Jesus colendam proponit: nimirum cor suum  
 Sacrosanctum. Jam vero ratio propter quam cor illud  
 Sanctissimum coli maxime debeat, sequentibus verbis

ex-



exprimitur. *Vides cor meum, cor illud tanto hominum amore succensum, ut nihil prætermiserit, viribus exhaustis penitus atque consumptis, quo amorem hunc immensum certissimis signis testatum eis relinqueret. Eorum tamen pars maxima usque adeo se mihi gratos amicosque non exhibent; ut me etiam injuriis, contumeliisque laceffant.* Itaque cor Jesu in hoc religionis officio considerari debet, ut est amore hominum succensum, & ab ipsis tamen hominibus impie ingratis crudelissime offensum. Eaque potissimum duplici ratione moveri debemus ad amantissimum cor redamandum: injuriasque quibus afficitur compensandas, & abolendas. Qua autem ratione id fieri Jesus velit, ipse declarat his verbis, *a te requiro, ut feria sexta, quæ post octavam festi Corporis mei proxima sequitur, cordi meo colendo peculiariter sit dicata: quæ die ad sacram mensam accedendo, injuriæ cordi meo inflictæ violati honoris reparatione sarciantur.* Quæ verba præcipuum quidem novi exercitii actum a Christo requisitum comprehendunt, sed non unicum: aliis enim rationibus cor Jesu coli posse ac debere, ex dicendis in decursu palam fiet.

His præmissis ac necessario notatis. Cultus Sacrosanctus cujus naturam inquirimus, sic definiri ac describi posse videtur. Exercitium erga divinissimum cor Jesu, spectatum ut est amore hominum ardentissimum; simulque ob injurias quibus ab illis ipsis hominibus impie ingratis appetitur (olim) afflictissimum. Quo exercitio cordi illi Sacrosancto cultus peculiaris adhibetur, ejus dignitati, amoris, & afflictioni æqua proportione respondens.

Explicanda definitio est, omniaque, quæ huc pertinent



nent in clarissima luce, quoad fieri poterit, collocanda. Primo: *exercitium erga cor Jesu*. Notandum, alia multa pietatis officia jamdiu in Ecclesia esse constituta, quæ quum inter sese diversa sint, tamen unum Jesum respiciunt. Aliud siquidem Corpus ejus; aliud sacra vulnera; aliud crucem; aliud nomen ipsum spectat. Pium vero officium de quo in præsentia agimus, cor ejusdem Jesu respicit. Apparet autem evidentissime cor illud divinissimum nihilo minus aptum esse, dignumve, cui cultus peculiaris deferatur, quam illa priora: neque opponi quidquam ulla ex parte potest contra cultum cordis Jesu, quod idem contra cultum Corporis, vulnere, Crucis, nominis, opponi pari, aut etiam potiori jure non possit: ut facile patebit consideranti. Verum ut & dubitationibus ignorantium occurratur, & cavillatorum tricus locus omnis, quoad fieri potest, præcludatur: observandum est, habendumque diligenter præ oculis, cor Jesu in hoc pietatis officio nequaquam spectandum esse, veluti si res quæpiam esset inanima, sensuque vacua; sed spectari debere vivum, sentiens, cognoscensque, quatenus nimirum animæ Jesu & personæ divinæ intime conjunctum est. Itaque cor Jesu non solitarie sumtum, non separatum ab iis rebus, quibus indissolubili nexu sociatur considerandum est; sed quatenus cum anima Jesu, ejusdemque divina persona rem unam quodammodo in ratione objecti constituit. Quæ res adoranda plane atque divina, conflata scilicet ex corde Jesu, ipsiusque anima, filiique Dei persona; adjunctis etiam gratiis omnibus, cœlestiumque charismatum thesauris, ac virtuti-



tutibus omnibus, affectionibusque hujus Sacrosancti cordis propriis; ipsa ipsa est res, quæ venerationi fidelium proponitur. Ex quo necessario consequitur id quod diligenter adverti oportet, ut quicquid cordi Jesu honoris defertur, id totum ad Christi personam pertineat; & vicissim in cor redundet quicquid honoris personæ tribuitur. Non secus ac si quis honorem adhibeat homini viventi, non is sane animæ dumtaxat honorem adhibere censendus est, aut soli corpori; sed utrique parti indivisim, propter intimam utriusque conjunctionem. Apparet præterea quam vere & proprie de corde Jesu ita spectato dicatur, & quod amet, & quod injuria afficiatur, & quod doleat, cæteraque ejusmodi. Denique quam congruenter ad illud idem cor & sermo dirigi possit; & adhiberi preces; & omnis denique deferri cultus cujus persona capax est: quum quicquid ad cor dirigitur, ad personam, quæ eodem corde vivit æque dirigi necesse sit. Et quidem ad hæc prorsus non attendisse oportet eos, quibus ista ratio cor Jesu colendi displicuit: qui videntur plane non aliter cor Jesu considerasse, quam ut frustum carnis emortuum, nullo sensu, nulla cognitione præditum, nulla animæ, nulla divinitatis habita ratione.

Sed jam cæteras definitionis partes persequamur. Sequitur illud: *spectatum ut est amore hominum ardentissimum simulque ob injurias quibus ab illis ipsis hominibus impie ingratis appetitur afflictissimum*. Nempe cor Jesu in hoc exercitio, sub hac duplici ratione spectari debet. Primum ut est amore hominum plenissimum: amore  
in-



inquam illo immenso, quo incitatus amantissimus Dominus, & cætera omnia hominum causa præstitit; ipsumque in primis Altaris mysterium instituit. Neque certe alia consideratio efficacior esse potest ad amorem nostrum huic divino cordi conciliandum. Quemadmodum enim illius cum divina verbi persona conjunctio, supremam cum hominum, tum Angelorum venerationem exigit: ita consentaneum est, ut amor quo ardet erga homines, ipsum eisdem hominibus amabile, charumque reddat.

Qua in re hoc ponderandum occurrit, nempe cor humanum, quamvis ad amorem spirituales procreandum nihil de suo proprie conferat; tamen ad procreationem amoris sensibilis, qui ad spirituales naturaliter consequi solet, plurimum omnino contribuere: quæ est doctrina D. Thomæ opusc. de dilect. Dei. C. 19. ubi explicans præceptum amandi Deum *ex toto corde*; hæc habet. *Sicut naturale igni calere est: ita naturale est cordi amando ardere. Vita cordis amor est. Et ideo impossibile est ut sine amore sit cor, quod vivere querit.... Cor ergo, quod est secundum philosophum originale domicilium vite naturalis, excitatur præcepto: ut suo modo cooperetur ad eliciendum actum vite gratuite.... est etiam cor secundum Arist. primum organum sentiendi, & ideo congrue primi mandati actio ab ipso & per ipsum debet sensibilis fieri.* Ergo ex S. Doctore, cor vere suo modo cooperatur ad eliciendum amorem, seu, quod in idem recidit, est verum principium suo modo, amoris. Et observare libet, ad hunc amorem sensibilem  
aut



aut augendum aut minuendum, non parum conferre temperationem naturalem ipsius cordis, quæ in variis personis varia est. Hæc autem omnia locum habere etiam in amore supernaturali certum est, tum ex doctrina Doct. Angel. modo tradita, tum experientia sanctorum, in quorum videlicet cordibus effectus admirabiles, ac prodigio similes amorem divinum produxisse constat; scitur quid ea in re S. Philippo Nerio contigerit, cujus sinus vi & impetu amoris in corde agentis, duabus elatis costulis ampliatus est. Quid Petro de Alcantara, quid Xaverio, quid Stanislao Kofka, aliisque ejusmodi bene multis, quorum ardores pectoris, ex amoris flammis e corde prodeuntibus, concepti, aëre frigido captando, aut aqua ingesta temperare necesse fuit. Quid S. Theresiæ, cujus cor ignito jaculo Angelus transverberavit, non ficto aut imaginario vulnere, sed reali, adeo ut in corde mortuo Abulæ asservato, etiam num appareat. Quid S. Gertrudi, in cujus corde suæ stigmata Passionis Jesus impressit. (vitæ l. 2. c. 4.) Quid B. Claræ de *Montefalco* in cujus corde instrumenta Passionis insculpta cum intuituum admiratione adhuc visuntur. Quid Catharinæ Senensi, cujus cor Dominus cum suo commutare dignatus est. Quid Catharinæ Genuensi, cujus cor tanto amoris incendio jugiter ardebat, ut partes tum pectoris tum dorsi cordi respondentes sensibili vulnere quasi fauciatæ apparerent. (vitæ c. 37.) Quid ven. mat. Mariæ de incarnatione (de qua postea) cujus cor Jesus ita cum suo arctissime conjunxit, ut ex

F utro-



utroque unum quodammodo conflaverit ( vitæ l. 1. c. 17. ) Denique quid aliis innumeris Sanctis , quorum vitæ acta manibus omnium teruntur , & quorum Catalogum texere infinitum esset . Eorum autem , qui similia patiuntur , hæc una vox est : cor amando ita vehementer affici , ut ex illo , tanquam ex fonte , amor erumpere videatur ; idque nonnunquam tanto impetu , ut cor quodammodo dirumpi , & in frustra diffilire sentiantur .

Jam vero ratio hujus nostræ animadversionis hæc est : quia anima , quæ præcipuum quidem amoris etiam sensibilis principium est , quandiu corpori est alligata , nihil efficit , in eo actuum genere , se sola & sine confortio corporis , cujus videlicet variis partibus ceu totidem instrumentis utitur . In amore autem illo sensibili producendo præcipuum , nobilissimumque animæ instrumentum cor esse , ignorat nemo . Ergo quemadmodum anima ope oculorum videre dicitur : audire ope aurium : ita ex æquo amare ope cordis dicenda erit : & qua ratione de oculo vere dici potest ac debet , quod videat ; de aure , quod audiat : eadem profus fatendum est de corde vere dici quod amet . Quæ opinio ita omnium hominum ubique terrarum degentium menti insidet , ut apud omnes gentes cor principium ac propria sedes amoris habeatur , & dicatur . Imo vero tanta est cordis humani cum amore conjunctio , ut una eademque res , communi hominum existimatione , esse videantur . Certè quidem uno eodemque vocabulo *cor* et *amor* exprimi ac confundi solent : sic dicitur ama-



re Deum ex toto corde : cor suum Deo præbere : cor a rebus creatis abstrahere : aliaque ejusmodi sexcenta, quæ in divinis scripturis æque ac profanis, usuque hominum quotidiano communia sunt, in quibus cor pro amore sumi & usurpari videmus. Sed quoquo modo illa se habeant : de hoc certe a nemine ambigi potest, cor humanum, cum ab aliis animi commotionibus, tum vero maxime ab amore vehementer affici. Quis enim hoc expertus non sit, variæ cordis affectiones quam exacte respondeant variis animi amanti dispositionibus? Animo enim in absentia rei amatae desideriis æstuante, anxioque & inquieto, æstuat ipsum quoque cor, angiturque inquietumque est : animo expectatione languente, languet etiam cor & contabescit. Quum vero animus re amata fruens, ardenti amore incensus præ dulcedine liquefieri quodammodo videtur ; simili prorsus affectione cor calet, accenditur, exquisitoque voluptatis sensu perfunditur. Contra vero si contingat animum mœrore atque tristitia confici, quum scilicet negligi amorem suum, aut sperni sentit ; aut quum personæ amatae malis, aut periculis commovetur ; tum cor item affligitur, comprimitur, mirumque in modum torquetur, quæ omnia ac similia nemo est qui propria edoctus experientia certo cognoscere non possit.

Hinc vero legitima consequentia deducitur, quod quum amor, quo Dominus Jesus (qua homo est) Deum Patrem, ipsosque homines persecutus est, conceptus fuerit secundum modum naturæ humanæ proprium ; deducitur inquam, quod ad amorem spiritualem, qui in



anima Christi vehementissimus fuit, amor sensibilis in pari gradu naturaliter in corde consequi debuerit: præfertim quum cordis Christi temperationem ad amandum, præcipua quadam ratione effectam fuisse, fides & ratio clament. Quæ opinio luculenter confirmari potest, ex dolore sensibili concepto ob peccata hominum, quem constat ex dolore spirituali animæ in cor Jesu derivatum: qui quam intensus fuerit, Jesus stupendis illis effectibus qui in horto contigere, toti Ecclesiæ manifestum esse voluit. Neque enim credere fas est, cor illud sacrosanctum minus ab amore, ad quem præcipue effectum erat; quam ab alia ulla affectione commotum fuisse. Itaque dicendum omnino est, cor illud divinissimum ad hujus amoris sensibilis, & quidem ardentissimi & tenerrimi procreationem, tanquam veram ac propriam causam, plurimum contulisse; similesque prorsus commotiones (omni seclusa imperfectione) expertum fuisse, quas cæterorum hominum corda, quum amant, naturaliter experiuntur. Quæ consideratio, ut prædiximus, non potest non esse efficacissima ad amorem nostrum cordi divinissimo conciliandum. Quis enim tam durus tamque inhumanus sit, qui cor amantissimi Servatoris contemplans amore nostri incensum; desiderii salutem nostram spectantibus æstuans; mœrore ac tristitia ob peccata nostra, cæteraque mala nobis impendentia confectum; quis inquam cor Jesu sic affectum attente contemplans contineat sese, quin tam suavissimum tamque amantissimum cor redamet, intimisque sensibus complectatur.

Ve-



Verum ad naturam sanctissimi cultus perfecte intelligendam minime sufficit cor Jesu considerasse, ut est divinitati conjunctum, & insuper amore hominum plenissimum; eaque duplici ratione, adoratione nostra & amore dignissimum; sed considerari ulterius debet quatenus ingrato hominum animo crudelissime offensum, injuriisque atrocissimis appetitum, eaque ratione non amore tantum nostro, sed commiseratione, si ita loqui fas est, ac dolore nostro vere dignum. Scilicet cor Jesu immenso quodam amore homines complectitur: at amor ille immensus licet, qui omnium corda inflammare, atque ad Jesum adjungere debuit, negligitur passim ab hominibus; itaque contemnitur, ut de eo maxima pars, ne cogitent quidem; tantum abest, ut debitis grati animi significationibus prosequantur. Imo vero quæ hominum fuit incredibilis durities, summaque impietas, Jesum benefactorem amantissimum, in medio nostri in Eucharistia commorantem, injuriis, probris, ac convitiis insecuti sunt. Quid enim aut ab hæreticis, aut ab impiis plerumque Catholicis contra Jesum in sacramento latentem nefarie commissum non est? Quam indecore, quam indigne habitus est? quam inhumaniter ac barbare sexcentis in locis tractatus? En tibi igitur ex altera quidem parte cor Jesu ineffabili amore succensum; ex altera vero homines ingratos, excordes, ferreos, qui tanto amore adeo non tanguntur, ut ipsum Jesum injuriis etiam laceffere non desinant. Quis vero hoc reputando non commoveatur? quis non indoleat? quis afflictissimi cordis mœrorem abstergere



quoquo liceat modo non cupiat, illatas injurias expiando, & quoad ejus fieri potest, honoribus adhibitis compensando? Atque illa quidem consideratione moveri fidelium animi debent, ad illam, quam Jesus exigit, violati honoris reparationem suo ipsius sacrosancto cordi exhibendam.

Et hæc hoc loco dicta sufficiant, ut cultus erga cor Jesu tota natura intelligi queat. Cætera enim, quæ definitione allata continentur, vix difficultatem habere ullam possunt: si quæ vero reliqua sit, facillime in decursu expedietur.

## CAPUT V.

*Cultum Cordis Jesu, & cultum Sanctissime Eucharistiæ inter se differre.*

**F**Uere, qui horum cultuum, dixere nullam esse differentiam, ideoque cultum cordis Jesu, rejiciendum censebant; tanquam si novum nomen induceretur sine re, quod frustraneum sit. Verum hæc existimatio, quantum absit a vero, ii facile judicabunt, qui ea legerint, quæ de natura cultus cordis Jesu jam præmisimus. Apparet nimirum hæc duo religionis officia maxime inter se differre: quippe quæ differant & objecto, ut vocant, materiali, seu re quæ colenda proponitur; & objecto formali, seu ratione quæ ad colendum permovet; Et denique fine, propter quem instituta sunt; atque ita ex omni prorsus capite differunt unde pius aliquis cultus ab alio